



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 93. Et ait: Nil respondes ad ea quæ isti aduersum te testificantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

ribit; & David, virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus. Quomodo non peribitis vos, ô Iudæi, qui in loco iudicij ipsam contextitis iniquitatem! Quomodo non abominabitur vos Dominus, ô principes latronum!

**D**omine Iesu Amantissime verba mendacii longe fac à me ne peream, sed da gratiam pietissime Iesu, ut nunquam verba proximi sinistrè interpreter, aut eum velim capere in verbis, siue directè siue indirectè, neue contra honorem tuum, aut proximi ædificationem faciendo consultandoue fiam abominabilis tibi.

§. 92. Et surgens princeps sacerdotum, ait illi. v. 62.

Bene quidem surgeret princeps Sacerdotum Iudaicorum, coram summo Sacerdote Christianorum, & Aaronicus coram eo qui est secundum ordinem Melchisedech; & iudicandus coram iudice suo futuro in die iudicij, in cuius conspectu tremunt potestates, cœli cœlorum & abyssi: sed alia illa causa surgendi fuit & quidem duplex, una ab ipsomet intentata, scilicet Ira præceps & impatiens non inueniens calumniæ locum; hæc malum hominem excutit de folio. Indignabatur enim Caiphas, quod Christus obiecta videretur contemnere, ipsoque silentio suo satis refutare; tanquam indigna uti reuera erant, responso; indignabatur quod non haberet locum ex occasione responsionis accusandi Christum. Indignabatur denique quod tam friuola & parum apta afferrentur testimonia ad sui animi propositum, Altera surgendi causa non intenta à Caipha erat, quod Deus permitteret ut ipse, jam præserte Sacerdote & Pontifice vero animarum, figuratiuum Sacerdotium, & typicum Pontificatum, eiusque auctoritatem infirmari, conuelli & destrui indicaret, & nos inde instrueremur.

**D**omine Iesu si quando sum in simili occasione, qua inimici mei verba mea sinistrè interpretentur aut malas de me pangant confabulationes, doce me voluntatem tuam, & doctrinam sanam, quomodo me habere debeam: aut si quando Iudex futurus sum, nunquam surgam in reum præceps iræ, sed semper cum patientia & modestia omnia audiam & respondeam pronuntiando iustum iudicium.

§. 93. Et ait: Nil respondes ad ea quæ isti aduersum te testificantur.

Non solum surgit è folio præ ira Caiphas, sed Christum vult cogere ad respondendum testibus, ut vel ex ipsa sua responsione eum capere possit, vel negando testimonium vel affirmando, vnde dicit Nil respondes. At Christus,



us, Dominus omnium & sapientior cunctis iudicantibus se, sciebat, si negando respondisset testibus, Pontificem dicturum esse, quod Christus mentiretur, quod tacente Christo minime poterant. Si vero affirmando respondisset, speciem sacrilegij aduersarijs præbiturum eo quod voluisset destruere templum Salomonicum vel Herodianum tam magnis sumptibus extructum, & per consequens auferre sacrificia & orationes quæ Deo inibi offerebantur juxta præceptum legis Mosaicæ, si denique sensum Verborum suorum aperiret, appariturum quod se Deum esse testaretur, vnde rursus calumnia esset texenda. Hinc cõsultius iudicauit Tacere prorsus, quam Respondere, & interrogando Christum dicit Caiphas, Nil respondes ad ea quæ isti aduersum te testificantur? quasi insultando, est ne hoc sanctitatis indicium, vel innocentia velle malitiose nocere communitati in destructione templi, & sic per consequens auferre honorem Deo debitum? quid ad hæc dicitis?

**Q**uam fatue agebat hic Pontifex! dum suæ dignitatis Maiestatem vult stabilire, infirmat eam, surgendo & stando quem sedere decebat, & accusatoris incipit agere partes, oblitus se esse iudicem! ô quantum malum est ira! & quantopere ea feruebat sæuum Pontificis peccus! quantopere inuidia in illo rationem obcæcabat! iustitiam peruertebat, veritatem extinguebat, & decorum omne evertibat! quam cruenta illius sitis? virulenta eminus arripit machinamenta, fraudes molitur, falsos excitat testes, ut agnum innocuum & iustum neci traderet. Bene in Lege Moyfi, præfigurando hanc Christi innocentiam dictū fuit, *ut agnus paschalis esset sine macula, & ut aliquantum ante immolationem probaretur an in eo esset macula aliqua*, certe hic summus Sacerdos & socii eius satis luculenter probarunt agnum nostrum Paschalem, & eum sine omni macula inuenisse testantur.

Domine Iesu Agnus mansuetissime gaudeo de te, pudet me mei & meorum. Longe obsecro sit à me tanta malitia, inuidia, furor, ne intellectus meus obtusceretur; sed veram iustitiam agnoscere velim, nec magis nocere præ malitia velim proximo: sed è contra da gratiam ut in lenitate spiritus, mansuetudine & longanimitate interiore mētis, semper audiā & iudicem secundum rectam rationem; & quidem ex amote Compassionis, nec per-mitte ut velim malitiose quempiam inducere aut circumuenire verbis ad nocendum.

S. 94. Iesus autem tacebat. v. 63.

Licet piensissimus Iesus in varijs accusaretur, in quibus se potuisset optime defendere, dulcis tamen Dominus os suum non aperuit, sed cuncta